

Mithridatico bello, intraturus Posidonii, sapientiae professione clari, domum, fores percuti de more a lictore vetuit, et fasces lictorios januae submisit is, cui se Oriens Occidensque submiserat.

Nunquamne legisti, Gaditanum quendam, Titi Livii nomine glariaque commotum, ad visendum euni ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse?

2. Alexander Magnus Pindarj vatis familiae, penatibusque jussit parci, quum Thebas caperet.—Inter spolia Darii, Persarum regis, unguentorum scrinio capto, quod erat auro, gemmisque et margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus, quando taedebat unguenti bellatorem et militia sordidum: *immo hercule*, inquit, *librorum Homeri custodiae detur*: ut pretiosissimum hamani animi opus quam maxime diviti opere servaretur. — Praedicabat, hunc poëtam complexum esse omnia belandi ac regnandi paecepta; eumque tanto amore atque honore prosecutus est, ut Homeri amator cognominaretur. Interrogante aliquando Philippo patre, cur tantopere hoc uno poëta delectaretur, caeteros vero negligeret? Ideo, inquit, pater, quod non quaevis poësis regem decere mihi videtur, sicut nec quodvis vestimentum. *Unius Homeri ingenua est, et magnifica, et vere regia*. — Itaque Homeri libros secum inter bella ferre solitus erat, et quum quiesceret, eos una cum pugione sub pulvino, cui incumbebat, reponere: *militiae viaticum et bellicae virtutis institutionem* appellans. Quum quidam prospere gestae rei nuntius citato cursu accederet, vultu ingentem laetitiam paeferens: *Quod mihi nuntiaturus es, inquit, tanto gaudio dignum? nisi forsitan Homerus revixit*.

3. Alcibiades quoque Homerum magno in pretio habuit. Itaque quum forte in scholam puerorum venisset,

Plin. 2, ep. 3. — Aelian. V. H. 13, 7. Plin. H. N. 7, 29. — Dion. Chrys. or. 2. — Plut. in Alex. p. 668. T. 1. — Idem de prof. virt. p. 85. T. 2. — Aelian. V. H. 13, 38. Plut. Aleib. p. 149. T. 1.